Lu

da

Lubieński Maciej Arcybisk. Gniezn.

EPISTOLA SYNODI PROVINCIALIS POLONIÆ

celebratæ Varſaviæ Anno 1643.
duodecimâ Menſis Novembris,

AD DISSIDENTES IN REBVS FIDEI
ab

ECCLESIA CATHOLICA

ROMANA: in Regno Poloniæ, Magnoq;
Ducatu Lithvaniæ, qua ad amicum congreſſum & fraternam reconciliationem invitantur Torunium in Pruſſia ad diem decimam Octob.
Anno 1644.

MAtthias Lubienski, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Archiepiſcopus Gneſnenſis, Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas, Primusq; Princeps, cæteriq; Regni & Magni Lithvaniæ Ducatus Epiſcopi, Varſaviæ in Synodo Provinciali legitimè congregati.

Illuſtrisſimis, Illuſtribus, Magnificis, Generoſis, Nobilibus, Clariſſimis, Spectabilibus, & Eruditis Viris, nec non Univerſis & ſingulis cujuscunq; Status & Ordinis, tàm Secularibus quàm Eccleſiaſticis ab Eccleſia Catholica Romana Disſidentibus, in Regno Poloniæ & annexis eidem Provinciis exiſtentibus, ſalutem animarum & omnem proſperitatem.

Illuſtrisſimi, Illuſtres, Magnifici, Generoſi, Nobiles, Clariſſimi, Spectabiles, & Eruditi Viri.

Triste Religionis disſidium, quod hoc Regnum annexasq; illi Provincias, uno jam ſeculo fatigat, non potuit Chriſtiani fraterniq; amoris neceſſitudinem, quam Vobiscum tanquam unius Regni cives conſtitutam habemus, diſſolvere: neq; Paſtoralem de Vobis ſolicitudinem ex animis noſtris, quos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſangvine ſuo, unquam eximere. Qua urgente in hac ſacra Provinciali Varſavienſi Synodo de eo in primis deliberavimus, quomodo Vobis in unius Religionis nomen doctrinæq; normam concedendi, quam accommodatiſſimum & gratiſſimum remedium proponeremus. Igitur ubi hoc unum non inuſitatum elegimus, fraternam nimirum collationem ſeu colloquium charitativum, viſum eſt, Vos Illuſtrisſimi, Illuſtres, Magnifici, Generoſi, Nobiles, Clarisſimi, Spectabiles, Eruditi & veſtris titulis honoratiſſimi, quicunq; in hoc inclyto regno Poloniæ eiq; unitis Provinciis communi jure legibus politicis eſtis conſentientes, ſed doctrinâ fidei diſſentientes, ad illud Torunium Regiam Civitatem ad diem decimam Octobris in Anno Stili Gregoriani Milleſimo Sexcenteſimo Quadrageſimo Quarto pera-

peramanter invitare. Neq; verò necessarium existimamus multis id Vobis svadere, quibus Studium hoc nostrum optimè, ut speramus, interpretaturis, propensa nostra voluntas, consiliumq; placebit, & præterea concordis religionis commoda non ignota, discordis contra damna sunt manifesta. Illud unum profiteri polliceriq; Vobis suffecerit initam à Nobis augendi honoris Dei, juvandarum animarum, stabiliendæ pacis publicæ rationem nemini fore præjudiciosam, vestrisq; consvetudinibus, immuntatibus, Privilegiis minimè exitiosam. Aderunt insuper opportunè, quibus liber & tutus ultrò citroq; commeatus patebit, diplomata Serenissimi Regis & Domini Nostri Clementissimi, qui ut bello inclytus, ita pietatis laude insignis, in ætatum posterorumq; omnium memoriam ibit, quod armata in suum exitium potissimum ex causa dissonæ Religionis belloq; ardente universa Christianitate, ille foris immota undiq; pace constituta, ad restituendam Regno Dominiisq; suis Religionis tranquillitatem, cum ipse Regias flexit curas, tum Nos ad easdem agendas incitavit. Aderit etiam nomine Nostro ad præfinitam diem locumq; Illu-

strisa-

ſtrisſimus & Reverendisſimus Dominus Georgius Tyszkieviez Epiſcopus Samogitiæ, ingenii ſvavisſimi, & propagandi honoris divini ſtudioſisſimus, unà cum duodecim aliis Viris doctrinâ modeſtiâq; conſpicuis à Nobis deſtinatis, qui ſingulari animi manſvetudine in Spiritu lenitatis, ſine clamoſis diſputationibus, prætermisſis aculeis, etiam qualibet offenſione, hos ſalutares Vobiscum habebunt ſermones. Quod ſi vos (uti quidem obnixè rogamus) talesquoq; deligitis, qui candido pacisq; Eccleſiaſticæ cupido animo huic interveniant colloquio, profectò quandoquidem Vobis in multis fidei capitibus cum Eccleſia Catholica videtur convenire, ubi inſuper certa pro certis utrinq; ſtatuentur, ambigua liquidabuntur, verè controverſa ſcripturarum & primitivæ Eccleſiæ aliisq; teſtimoniis comprobabuntur, haud difficile erit Catholicam veritatem omnibus, quibus ejus fulgor hactenus obſcurari videbatur, depulſis, & quàm inania ſint, quæ parti huic imputantur, liquido perſpicere, pariterq; vobis & cunctis judicare, jure ne præſens ſeceſſio & olim facta ſit & nunc continuetur. Si unquam fuit reſumendæ pacis Eccleſia-

clesiasticæ tempus opportunius, hoc certè est, tot annorum pace felicissimum, scilicet ut in hac placidissima temporalis felicitatis malatia, tranquillis animis omnes despiciant dulcedinem pacis religionis, atq; alteram ex altera quærere & firmare condiscant. Utamini igitur hoc bono Illustrissimi, Illustres, Magnifici, Generosi, Nobiles, Clarissimi, Spectabiles, & Eruditi Viri, ut vota nostra vertantur in gaudia non Poloniæ modò & septentrionis nostri, sed cœli universi, sed Nationum omnium apud quas pulcrum erit, funestam religionis discordiam alibi prius cæpisse, hic prius desiisse. Valete, acceptate, adeste, in Domino. Varsaviæ in Synodo Provinciali, duodecimâ Novemb. Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo tertio.

L. S.

Matthias Lubienski Archiepiscopus Gnesnensis suo & totius synodi nomine m. p.